

lex constituit una. Quæ lex est recta ratio imperandi atque prohibendi, quam qui ignorat, is est injustus.

§. XI.

Contrà, noster rigor est justissimus, & à jure N. quod *unum Jus* modò dicebatur *Ciceroni*, unò eòdemqve modò tam intensivè quàm extensivè semper & ubiqve adhibetur.

§. XII.

& quidem
a) intensivè.

Intensivè; dum ad actionem bonam requirit omnes circumstantias bonas, adeò, ut si vel una ex his aberret, actio ipsa per Jus N. non approbetur sed rejiciatur.

§. XIII.

De circumstantiis notus est vetus versiculus:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando: quem allegat *Thomas 1. 2. quæst. 7. art. 3.* in c. numerumqve quem comprehendit septenarium, calculò *Aristotelis in Libb. Nicomach.* & *Ciceron. in Libb. Rhetor.* firmat & quasi sacrum facit.

§. XIV.

Ex his circumstantia finis est potissima. Generaliter *Aristoteles L. I. Oeconomic. c. 1.* *Cujus unumquodque gratia est & extitit, ea illius natura esse solet.* Quod specialiter in moralibus est verissimum. Hinc rectè *Thomas 1. alleg. artic. 4 in corp.* *Principalissima est omnium circumstantiarum illa, quæ attingit actum ex parte finis, scilicet, cujus gratiâ.*

§. XV.

Tametsi verò reliquis circumstantiis hæc est potior, tam quod se, quàm quoad effectum suum, quem in moralibus actionibus exerit; respectu tamen nostræ cognitionis iisdem est occultior. Hinc circumstantias morales distingvimus nos in latentem & patentes. Latens est circumstantia finis sive intentionis, quam in aliò solus *καρδιογνώστης* certò novit Deus. Patentes sunt reliquæ; quippe quòd in sensus aliorum hominum, aliæ tamen magis, aliæ minus incurrant.

§. XVI.

β) extensivè.

Harum omnium tam latentis, quàm patentium circumstantiarum bonitatem exigit Jus Naturæ; eòqve ipsò rigorem suum adhibet intensivè; *Vid. supra §. 12.* Extensivè id facit, tum ratione obje-

obje-